



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
proxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

§. 1. Quæ, & qualis esse debeat Materia, & Forma Sacramentorum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

TRACTATUS QUARTUS
DE
SACRAMENTIS

Reliquis in genere & specie.

CAPUT PRIMUM.

De pertinentibus ad Sacramentum in communi.



Sacramentum in genere est signum sensibile gratiæ justificantis, à Deo institutum, ut Sanctitatem causet. Numerum Sacramentorum esse septenarium &c. probavimus supra in controver. part. 1. tr. 2. cap. 6. 11.

Ad essentiam Sacramenti pertinet materia, & forma, & debita utrisque coëxistentia. Essentialis etiam est institutio Christi, & intentio Ministri, & in adultis plerumque intentio quædam, & dispositio suscipientis. Quæ omnia cum aliis huc pertinentibus per paucas assertiones elucidanda erunt.

§. I. *Qua, & qualis esse debeat materia & forma Sacramentorum.*

Dico primò, Sacramenta novæ Legis (quæ in usu consistunt) constant rebus ut materiâ, verbis ut formâ: præter Matrimonium, quod

quod perfici potest nutu, scripto, aut aliis signis
quæ verbis æquivalent.

Ratio est, quia materia Sacramenti v. g. ab-
lutio infantis in Baptismo, est res ex se indeter-
minata ut sit signum, & causa gratiæ sanctifi-
cantis: ergò debet ea in ratione talis signi de-
terminari per verba, quæ ex sua institutione
vim habent aliquid determinatè significandi;
& quæ à Christo assumpta sunt ut simul cum
certa materia intrinsecè constituent signum
causativum gratiæ sanctificantis. Dixi, hoc
intelligendum de Sacramentis, quæ in usu confi-
sunt, propter Eucharistiam, quæ post Consec-
rationem servatur, & permanet Sacramentum,
etsi verba Consecrationis pridem desierint.

Contra hanc assertionem objicit Scotus in 4.
dist. 16. quæst. 1. In Sacramento Pœnitentiæ so-
la absolutio Sacerdotis significat gratiam, & re-
missionem peccatorum, non autem pœnitentis
Confessio; ergò Confessio non est pars hujus Sa-
cramenti, sed tantùm conditio extrinseca ad ab-
solutionem prærequisita.

Respondeo negando antecedens: quia voluit
Christus ad constituendum Sacramentum Pœ-
nitentiæ assumere totam formam externam in
Judicio requisitam; ad hanc autem formam non
tantùm spectat sententia Judicis, sed etiam de-
claratio delicti, quæ fita est in Confessione pœ-
nitentis. Idque probatur ex Tridentino sess. 14.
cap. 3. Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti,
ipsius pœnitentis actus, qui quatenus in pœnitente ad
integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam
peccatorum remissionem ex divina institutione requirun-
tur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.

Dico secundò: Materiæ & formæ conjunctio,
& coexistentia physica non est necessaria ad va-
lorem

lorem Sacramenti, sed tantum moralis, ita scilicet ut communi iudicio censeatur forma cadere supra materiam. Hinc validus est Baptismus, etsi paulo ante vel post absolutionem infantis pronuncietur forma, ego te baptizo. Vallet etiam absolutio, etsi uno vel altero die post Consecrationem proferatur. Forma autem Consecrationis requirit ut hostia sit praesens, & sensu perceptibilis à Sacerdote pro eo tempore, quo proferuntur verba Consecrationis. Ratio hujus diversitatis petitur ex eo, quod in uno Sacramento praeter alio facilius, in majori temporis aut loci distantia, intelligatur forma materiam determinare, & cum ea constituere unum signum sacramentale, quod ex diversa signi natura, & morali aestimatione judicari debet.

Dico tertio: Sacramentorum omnium materia, & forma à Christo determinata est, quae salvo Sacramenti valore, quoad substantiam mutari nequeunt.

Probatum conclusio ex Trident. sess. 21. cap. 2. ubi dum declarat in Ecclesia fuisse perpetuo potestatem, ut in Sacramentorum dispositione ea statueret & mutaret, quae magis expedire iudicaret, expressè addit, *salvo eorum substantia*. Ergo non habet Ecclesia potestatem aliquid immutandi in materia & forma, cum haec ad Sacramentorum substantiam pertineant, unde colligitur ipsius Christi potestate sublimiori ea constitui debuisse.

Contra objicies: Ante Tridentinum materia Matrimonii erat consensus contrahentium signis utrimque expressus, absque Parochi, & testium praesentia: Atqui post Tridentinum talis consensus sine praesentia Parochi non est materia sufficiens in Sacramento Matrimonii: ergo

ergò Ecclesia potuit alicujus Sacramenti materiam immutare.

Respondeo, admisso ant. negando consequentiam. Ecclesia enim isto casu non immutavit formaliter materiam in Sacramento Matrimonii à Christo institutam, quæ fuit traditio potestatis in mutua corpora per contractum validum, & legitimum: Ecclesia autem tantum statuit, ut traditio illa clandestina non esset amplius valida in ratione contractus, atque ita deesset conditio requisita, ut comprehenderetur sub materia à Christo instituta, qui pro materia matrimonii non quemlibet contractum, sed omnino validum sufficere voluit.

Porrò quanta materię aut formę mutatio Sacramentum invalidet, de singulis infrà dicetur.

Hęc thesi sic constitutã, corruiit gemina hæresis, unã Lutheri negantis certam verborum formam à Christo in Baptismo, aliisve Sacramentis constitutam: altera Calvinii afferentis verbum in Sacramentis debere esse non consecratorium, sed concionatorium, sic nempe prolatum, ut possit fidem in audientibus excitare, cujus unius actu, & exercitio vult omnes etiam baptizatos justitiam adipisci. At Calvinum erroris hic arguent ipsi infantes baptizandi, quibus necesse erit Calvinistam per septem annos Baptismi verba inclamare, antequam iis, rationis usu carentibus, unum fidei actum extundat.